tem, & sobrietatem sine taxatione adversariorum, Psychicorum scil? *quinam isti sint semel nominabo, exteriores & interiores botuli Psychicorum.* Paulo post: *De modo quidem nubendi jam edidimus monogamiæ defensionem: nunc de castigatione victus secundæ, vel magis primæ continentiæ pugna est.* Satis manifesta est confessio consociationis cum fanaticis Montanistis, quorum dogmatum defensionem in se suscipit à Montanico Paracleto deceptus Afer.

§. 19. Consentit, & deplorat Tertulliani lapsum etiam pia Antiquitas. B. *Hieronymus* in l. de Script. Eccles. t.I. opp. in Tert. f.m. 129. ita de miserabili Viri lapsu loquitur: *Cum usq; ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ permansisset &c. ad Montani dogma delapsus, in multis libris novæ propheticæ meminit.* Annuit B. *Augustinus* t.IV. opp. de bon. viduit. c.4. f.1019. *Hinc enim maxime Cataphrygarum ac Novatianorum hæreses tumuerunt, quas buccis sonantibus non sapientibus etiam Tertullianus inflavit &c.* Alibi ab eodem appellatur *disertissimus Cataphrygum, & Novatianorum adstipulator.* Addimus his testimonium *Vincentij Lirinensis* contra hæres. c. 24. qui cum merita Viri contra Hæreticos deprædicasset, *& tamen hic,* inquit, *Tertullianus post hæc omnia Catholici dogmatis, id est universalis ac vetustæ fidei parum tenax; ac disertior multo quam felicior &c. contra Mosis præceptum exurgentes in Ecclesia novellas Montani furias, & illa insanarum mulierum novitij dogmatis somnia veras prophetias adseverando meruit, ut de se quoq;, & scripturis suis diceretur: si surrexerit in medio tui propheta.* Prima pars hæc est dissertationis.

§. 20. *Altera* probat *Tertullianum ad Montanistas deficiendo lapsum esse* turpiter, lapsu tanto Doctore indigno, factumque Pietastrum. *Arnoldus* equidem *Hæresiol.* t.I. l.2. c.4. 54. f.79. *Tertullianum fuisse Montanistam* expresse scribit, quem *amorem austerioris & strictioris Christianismi* movisse notat ad associandum se Montanistis; sed lapsum eundem hoc facto esse in hæresin, & impia foviisse dogmata negat, Montani dogmata contra testimonium antiquitatis, ex pruritu hæreticis patrocinandi, in mitiorem partem explicans, imo probans, l. c. §. 45. sq. Supra sane quæ ex Tertulliano ad mentem Montani producta sunt